

vitia insipientes, et suam culpam in senectutem conferunt. Quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius:

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo

Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis, et victoris senectuti comparat suam, quam quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post ejus mortem, hi consules, T. Flamininus, et M. Acilius facti sunt: ille autem Caepione, et Philippo iterum, consulibus, mortuus est; cum ego quidem, quinque et sexaginta annos natus, legem Voconiam voce magna, et bonis lateribus suasissem. Annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur. Etenim, cum contempler animo, reperio quatuor causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum quanta, quamque sit justa unaquaeque, videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quae geruntur in juventute, et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus, nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? caeteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rempublicam consilio et auctoritate defendebat, nihil agebant? Ad App. Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset: tamen is, cum sententia senatus inclinaret ad pacem, et foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant

Antehac, dementes sese flexere via?

Ceteraque gravissime: notum enim nobis carmen est, et tamen ipsius Appii extat oratio. Atque hanc ille egit septem